

quondam Eustachy similiter Regni Sclavoniae Bani, sub appendenti et autentico sigillo sui Banatus, Crisii, tertio die Inventionis S. Crucis Anno Domini 1362, Nos inter caetera docebamur: Quod Universi Nobiles Jobbagyones Castri maioris Kemlek eiusdem quondam Eustachy Bani accedendo praesentiam, eidem quaerulose super eo significari curassent: Quod ipsi per Castellanium suum de Kemlek et eius vices gerentem intolerabile periculum et perturbationem non modicam perpessi exstitissent et continuo contra libertatem ipsorum ex inusitata sua astatia in eo paterentur: Quod idem Castellanus suus vel eius Vicesgerens, ut bona ipsorum per huiusmodi adinventam eius astutiam opprimere posset, ipsos Jobbagyones Castri suapte saepius sine Causa solus nullo adversario existente in sui praesentiam, non de jure citari feciendo quemcunque vel quoscunque vellet ex eisdem Actor et Judex existens, in plurimorum judiciorum gravaminibus, juxta nutum suae voluntatis damnificaret, et quod quicunque ex ipsis vinum vel bladum suum proprium quocunque ad Ecclesiarum Cimiteria vel ad aliorum hominum domos aut quocunque extra metas ad conservam duceret, Castellanos suos maioris Kemlek et eius Officiales tributum semper ab iisdem contra libertatem ipsorum et eorundem grande praeiudicium non de Jure exigere conaretur, per quod ipsi ad extremae paupertatis inopiam devenissent: supplicantes eidem quondam Eustachio Bano humiliter et devote, ut ipsos ab huiusmodi Angariationum periculis sublevare dignaretur. Ipse siquidem quondam Banus, qui cunctorum sibi subiectorum incommoditatibus invigilare debebat, eosdem Jobbagyones Castri Kemlek de huiusmodi inconsveta et omnino juri et justitiae contrariosa citatione et praemissa indebita tributaria exactione facienda sublevando commisit et earundem serie comisisset, ut a tunc eosdem Jobbagyones Castri Kemlek vel aliquem ex ipsis Castellanus suus de eodem Castro pro tempore constitutus, vel eius Vicegerens, per se ratione alicuius facti in sui praesentiam nullo citari facere posset atque valeret, nisi inter litigantes Judicium et justitiam facere teneretur, moderatione juris requirente; nec ab eorum Vino et Blado proprio quocunque ad Ecclesias vel aliorum Domos aut extra metas ad reponendum deducendum tributum aliquot exigere posset. Igitur idem condam Banus Castellano suo de dicto Castro Kemlek tunc et pro tempore constituto vel ejus Vicegerenti firmiter praecipiendo mandasset, quatenus a tunc praedictos Nobiles Jobbagyones dicti Castri ratione huiusmodi inusitatae citationis nullo modo molestare, nec de eorum Vino et Blado proprio, alias praemisso modo ad reponendum et ducendum aliquod tributum vel tributariam exactionem recipere, sed eosdem in solita libertate ipsorum pacifice et sine omni inquietatione perfrui permetteret, aliud facere non audendo. Secunda vero, puta dicti quondam Domini Mathiae Regis Littera praeceptoraria, ad Commissionem suam propriam, Budae die Dominica proxima post festum beati Joannis ante portam Latinam Anno Domini 1489 emanata, nos eatenus docebat: praefatum quondam Dominum Mathiam Regem non sine displicentia intellexisse: Quod licet universi et singuli Nobiles unius sessionis in pertinentiis Castri sui Kemlek constituti et commorantes semper et ab antiquo ad illud Castrum suum Kemlek pertinuerint, illoque solita servitia facere et certos proventus de medio ipsorum administrare obligati fuerint; Illi tamen paulo ante temporibus praeteritis ipsi de sub Jurisdictione eiusdem Castri sese excepissent, huiusmodi solita servitia et proventus facere et administrare iam a certis temporibus recusassent. Quia vero ipse condam Dominus Mathias Rex nullo modo voluisset